

AB  
152826





~~Sammlung~~

88  
148  
172





4  
No 4055 \*

De Amicitia.

THESES PHILO-  
SOPHICÆ EX VIII. & IX.

*Ethicor: Nicom: Arist: libris collectæ,  
& ad disputandum publicè in Acade-  
mia VVitebergensi proposita*

A

M. Gregorio Schönfelt  
Zanense.

*Ad quas, præside eodem, divina favente gratia,  
XIII. Decemb. hora VII. loco consueto,  
Respondebit*

Nicolaus Dethlevus  
Hamburgensis.



V I T E B E R G A E

Typis Matthæi VVelaci.

Anno M. D. LXXXVIII.



De Amicitia

THESES PHIL.

TOPICA XXXIX & IX  
Ethicorum: Vices: libris collecta  
& ad disputandum publicum Academiæ  
militis Vitebergensis proposita

M. Gregorio Schönfeldt

Laureate

Ad præs. præsidii eodem, hincina facta gratia  
XIII. Decemb. hora I. loco confecto  
Respondit

Nicolaus Dechleyus

I. impugnat.



WITBERGAE

Typis Matthei V. clausi

MDCCLXXXIII





Micitia, latinis ab amore seu amando nomi-  
nata, est mutua, minimeq; latens benevo-  
lencia.

2. Benevolentiam verò amationemq; non quilibet, sed amabile duntaxat concitat: Sicut & non minus verè, quàm venustè Naso cecinit: vt ameris, amabilis esto.
3. Eiusmodi autem est omne id, quod vel honestum, vel iucundum, vel vtile est. Quæ quidem cum respectu mutuo, tū ratione opinionis amantis, variant.
4. Respectu mutuo, aliud est, vt finis: aliud, ut tendens ad finem. Amabile, vt finis, est *αυδαίετορ ης αυταρκες*, quod per se expetitur, & in quo amans acquiescit. Idq; rursum vel respectu rationis tale est, ut honestum: vel respectu appetitus, ut iucundum.
5. Amabile propter finem, est ipsum vtile. Id enim non vt finis, sed ut tendens ad finem: nec per se, sed quod ad id, quod vel honestum, vel iucundum est, confert, expetitur. Nec enim in ipso utili quis acquiescit: sed vltèrius vel ad honestatem, vel iucunditatem inde promanantem progreditur.
6. Eius verò, qui appetit, opinionis respectu, aliud est simpliciter, absolutè & reuera amabile: aliud verò *φαινόμενον*, quod alicui id intuenti saltem videtur amabile, licet per se neutiquam illi sit amabile. Atq; hoc ipsum improbis, illud bonis est amabile.



7. Boni namq; in rebus dijudicandis, veram rerum  
omniū mensuram adhibent rectam rationem: atq; ita  
illis, quod absolute amabile est, etiam apparet amabi-  
le. Improbis verò, quibus pro suo peruerso iudicio quic-  
quid aliqua vel voluptate vel utilitate tinctum est, bo-  
num videtur, tantum apparens bonum est amabile.

8. Habet tamen vnumquodq; amabile communem  
vim concitandæ beneuolentiæ & charitatis, licet aliud  
alio maiorem, vehementioremq;. Multum ad coniun-  
gendam beneuolentiam valet utilitas: plus iucundi-  
tas: plurimum honestas. Hac enim nihil est amabilius,  
nihil copulatius, nihil est quod magis homines alliciat  
ad diligendum: quippe cum hanc vel in ijs, quos nun-  
quam vidimus, vel quod maius est, etiam in hoste lau-  
demus.

9. Cognitionem igitur alicuius rei amabilis vltro  
sequitur beneuolentia. Sic namq; natura comparatum  
est, vt obiecto aliquo amabili, ratio id dijudicet, & si  
bonum videatur, voluntas id cum beneuolentia &  
charitate subito profsequatur.

10. Beneuolentia itaq; est repentinus, remissior ta-  
men & occultus animi motus, ex amabilis alicuius rei  
cognitione ortus, quo alicui tam ignoto, quàm noto,  
omnia benè feliciterq; euenire cupimus, ipsum tamen  
opera nostra nihil adiuuantes.

11. Quæ quidem rectè & propriè amicitiaè principi-  
um, Metaphorice verò amicitia sed non nisi ociosa dici-

tur.



tur. Non enim ilicò amant, nedum amici sunt, qui beneuoli existunt.

12. Amatio etenim est ardentior animi motus, cum contentione, appetitione, vitæq; consuetudine coniunctus, erga notos tantum, quos etiam opera nostra auctos ornatosq; volumus quàm plurimùm.

13. Et sanè ne hæc quidem amicitia nomen mereatur: cum saltem eius sit pars quædam. Amicitia namque cum ad minimum inter duos sit: vnus beneuolentia & charitas, ad integram amicitia essentiam constituendam haud sufficiet: Sed & alterius affectionem *ἐν ἀντιπεπονηθόσι* accedere necessum erit. *φίλος γὰρ οὐ μόνον ὁ φιλῶν, ἀλλὰ καὶ ὁ ἀντιφιλόμενος.*

14. Quin etiam si sola amatio amicitiam constitueret perficeretq;: eaden esset *πρὸς τὰ ἄψυχα*, cum *ἢ φίλοις* erga res inanimas esse possit, quæ tamen propter *ἀδωαμίαν* *πρὸς τὸ ἀντιφιλεῖν*, ad amicitiam coniungendam plane sunt ineptæ: consequens igitur est, *τὴν ἀντιφίλειαν* ad amationem, ut sit amicitia, accedere oportere.

15. Ad hanc verò mutuam amationem conciliandam, plurimùm, valet morum similitudo, studiorum que paritas. Nihil enim sui similiū appetentius, nihil rapacius, quàm natura. Vnde inter eos, quos inter, quanta potest esse maxima morum studiorumq; est distantia, amicitia non modò non conglutinaur, sed quasi naturalis inimicitia suscepta videtur. Contrari-



orum enim per se nulla est amicitia, nullumq; virtuti cum improbitate commercium.

16. Verum enim uero fieri potest, ut inter duos pluresue mutua quædam intercedat beneuolentia & charitas, ita tamen, ut neutri id constet: Hos igitur rectius quis beneuolos, quàm amicos dixerit.

17. Proinde ad mutuam beneuolentiam τὸ μιλανθίαν, ceu amicitia complementum addendum est. Ut enim quidam inter se sint amici, eos mutua sese beneuolentia & charitate prosequi necessum est, & quidem ita, ut hoc utriq; sit cognitum atq; perspectum.

18. Porro amicitia hæc varias pro varietate cum amabilium tum ipsius mutui, admittit diuisiones.

19. Pro amabilium discrimine, alia est perfecta, κυρία καὶ τελεία: alia imperfecta μὴ κυρία καὶ ἢ συμβεβηκός.

20. Perfecta amicitia est, quæ ex virtute, diu multumq; perspecta, & cognita, inter bonos per se, nulla quæta utilitate vel voluptate, contrahitur, cuius uis sic alter erga alterum, ut erga seipsum, est animatus.

21. In qua quidem duo sunt consideranda, eius nimirum ortus, & inde orta effecta.

22. Ortus sic se habet: Primum est elucescitq; in altero illustris quædam probitatis virtutisq; significatio: cuius admiratione ductus alter, moribus præditus quàm similis, eum appetit, ad eumq; se applicat, propiusq; admouet, ut & usu, & moribus eius fruatur, maioremq; eius explorandi habeat occasionem.

23. Nulla



23. Nulla enim vera amicitia prius contrahi potest, quàm alter alteri dignus, qui ametur, & cui fides habeatur, visus fuerit. Apprimè enim utile est illud Iſocratis: *εραδέως μὲν φίλος γίνεσθαι γινόμενος δὲ περιωὶ διαμένειν.* Et prius, quod veteri monemur prouerbio, multi modij Sals simul edendi sunt, quàm alter alterum rectè norit.

24. Proinde periclitandi sunt mores amici, ac potissimum quidè in tribus, pecunijs nempe, honoribus & periculis. Difficile namq; est, amicitiam antepondere pecuniæ, propriæq; utilitati: difficilius honori: difficilimum periculis. Si igitur in his tribus fidem eius, quem tibi amicum iungere cupis, cognoueris: eum verè constantem esse, & ex maximè raro hominum genere, amicitiaq; tua dignum iudicare poteris.

25. Deniq; ut ille quoq; idem de te tutò sperare possit, te eundem in iisdem illi præstiteris, & ad benemerendum propensior eris, quàm ad reposcendum. Ex beneficio enim accepto, studio perspecto, & consuetudine morumq; suauitate adiuncta, admirabilis beneuolentiæ exardescit magnitudo.

26. Atq; hisce ita concurrentibus gignitur angustum & perfectum illud amicitiae genus.

27. Quod quo rarius est (ita enim contractum & in angustum adductum est, vt ex infinita hominum societate, aut inter duos, aut admodum paucos iunctum inueniatur, tum quòd magna est bonorum paucitas, tum quòd multis perfectè placere, multosq; simul perfectè



fectè amare, & denique probare, propter breuiorem  
vitæ usuram haud possimus) eo durabilius, pulcrius  
& fructuosius existit.

28. Durabile quidem maximeq; stabile est, cum  
quod virtus, qua cõstat, est τὸ μόνιμόν τι, καὶ τὸ καλὸν πολυζώνιον  
tüm quod suo complexu omnia amoris vincula nem-  
pe honestatem, & hinc efflorescentem vtilitatem & vo-  
luptatem continet: denique quod est ἀδιάβλητος, querela-  
rum, criminationum, & suspicionum expers. Quæ  
quidem & eius perfectionem vtrò demonstrant.

29. Pulcritudo verò & vtilitas, vt ad effecta deueni-  
amus, huius amicitia, ex φιλασία, qua quis seipsum a-  
mat, perspicitur. Qualia enim sibi quisque (virum  
bonum intelligimus) optat, eadem etiam optat amico,  
eademque ab illo expectat. Est enim amicus, tanquam  
alter idem.

30. Quare cum nihil sit dulcius, nihil pulcrius, ni-  
hil denique vtilius, quàm habere, cum quo sic aude-  
as loqui, vt tecum: cum cuius animo tuum quasi com-  
misceas: in cuius mutua beneuolentia tutò conquies-  
cas: qui res tuas secundas, ijs æque gaudens splendi-  
diores: aduersas vero eas partiens communicansque  
leuiiores faciat: sequitur, amicitiam hanc, in qua illa  
omnia insunt, esse dulcissimam, utilissimam.

31. Et hæc de amicitia perfecta: sequitur de imperfecta.

32. Amicitia imperfecta est, quæ non propter se, sed  
propter



aliud inde emergens siue utile siue iucundum, non minus inconstanter, quàm frequenter suscipitur.

33. Quæ quidem cum propter perfectæ similitudinem & dissimilitudinem, & amicitia sit & non sit: ὁμοιότης ista & ἀνομοιότης studiosè diligenterque cunctanda videtur.

34. Similitudo igitur gemina est: vna quidem in materia: vt. n. perfecta amicitia, & utilitatem & voluptatem præstat: Ita & imperfectarum altera voluptatem, altera utilitatem suppeditat. Altera verò est in adiuncto, Vt namq; perfecta amicitia firma est & constans: ita & hæ quodammodo, licet per se sint ἐυδιόλουτοι, stabiles existunt, quatenus paria vtrinq; præstantur officia.

35. Dissimilitudo similiter duplex est: una in essentia, altera in adiunctis. Quod ad priorem: In perfecta amicitia concurrunt omnia amabilia, & ob hæc facta, ἢ καθ' αὐτὴν φιλίας. In his verò vix ac ne vix quidem voluptas cum utilitate, nedum omnia amoris vincula simul iuncta reperiuntur: nec his amicitijs iuncti, se inuicem per se amant, sed qua quippiam boni alteri ab altero præstatur. Vnde rectè amicitia per accidens dicuntur.

36. Discrepantia in adiunctis est, quod vt perfecta est difficilis, rara, ἀδιάρητος, stabilis: Ita hæc contrario se modo habet. Hæc enim cum magna sit utilium iucundorumque copia, nec adeò multum ad hæc præstanda temporis & explorationis requiratur, facile frequen-

B

terque



terq; conglutinatur quidem: Sed facile quoque, cum sit ἐγκληματικὴ suspicionum, querelarum & criminationum plena, diffuitur discinditurq;.

37. Est porro hæc amicitia aut ὁμοιοειδής aut ἀνομοιοειδής.

38. ὁμοιοειδής est, ubi ob idem eiusdemque speciei amabile, vterque utrumque amat, eademque ab utroque præstantur.

39. Ea que rursus in iucundã & vtilem distribuitur.

40. Iucunda est, quæ voluptatis ergo inter, iuvenes hominesq; voluptatibus deditos potissimum conflatur, propiusque ad perfectam, quam utilis, accedere videtur. Est enim τὸ ἡδύ, φιλητόν, ὡς πέλθω. Constat præterea conuictu vitæq; consuetudine arctiore: à suspitionibus, & querelis est immuniior, ideoq; durabilior: liberalibus denique ingenijs dignior apparet.

41. Utilis est, quæ solius cõmodi sentiendi gratia colitur.

42. Serpit hoc amicitia genus per omnium vitam, nec vllam ætatis degendæ rationem sui expertem patitur, nec sine ea vita esse potest vlla: Itaque & legum latores amicitia huius maiorem habent curam, quam ipsius iusticiæ: cum ciuitas sine iusticia, præsentem amicitia esse possit, sine amicitia verò nunquam.

43. Cum enim res humanæ fragiles sint atque caducæ: fit, vt natura nihil solitarium amet, sed semper ad aliquid tanquam adminiculum annitatur: quod sanè in amico est dulcissimum, tum in rebus prosperis, tum aduersis.



44. In prosperis quidem, amicis opus est, tam propter usum, quam propter conseruationem earum. Primùm enim fructus bonorum nostrorum tùm maximè capitur, cùm in proximum quenque confertur. Deinde quò maior rerum felicitas, eò pluribus exposita est insidijs & periculis: amicis itaque tanquam custodibus, opus est.

45. In aduersis verò, auxiliij subsidijq; causa, amicos, vt vltimum perfugium, habere oportet, qui id, quod per nos consequi non possumus, nobis suppedient.

46. Hæc pro iusticiæ, quam comitatur, discrimine, aut Ethica est, aut legitima.

47. Legitima græcis *νομιμική*, est, in qua res interueniente pacto certæ præfinitæq; remunerationis communicantur, nec soli fidei bonitatiq; confiditur.

48. Ethica est, quæ quidem nullam lege pactoque determinatam habet utilitatem, sed sola morum honestate atque fide alterius constare videtur: tacitè tamen utilitatem sperat captatque: æquum esse censens, tantundem, aut plus etiam ad se redire debere, perinde ac si non munus, sed mutuum siue commodatum dedisset.

49. Amicitia, *ἀνομοιοσθηής* dicta, est, in qua fit permutatio rei amabilis, & vel pro utilitate voluptas, vel pro voluptate utilitas, redditur.



50. Huc usque de ea amicitia differentia, quæ τῶν φιλητῶν varietatem sequitur: nunc de ea, quæ ex mutui discrimine oritur.

51. Mutuum in amicitia est, τὸ ἴσον, par dilectio, paribus declarata officijs, omnis enim amicitia vis in æqualitate consistit. ἢ γὰρ ἰσότης, φιλότης.

52. Proinde ut τὸ ἴσον, aliud est κατὰ ποσοῦν quonumero et magnitudine æqualem partem ferunt singuli: aliud κατὰ ἀξίαν, quo rata sua cuiq; pars tribuitur: Sic & amicitia, alia est ἐν ἰσότητι alia ἐν ὑπεροχῇ.

53. Amicitia ἐν ἰσότητι οὖσα, est, in qua amici inter se bonis amabilibus κατὰ ποσοῦν, sunt æquales, & τὸ ἴσον sibi invicem pari mensura, specie vel eadē vel diversa reddunt.

54. Amicitia in excellentia posita est, in qua amici bonis amabilibus inter se sunt inæquales, & mutuum κατὰ ἀξίαν, pro merito & dignitate unicuiq; tribuitur: Ita ut quanto altero alter bonis amabilibus est inferior, tanto idem altero amoris abundantia sit superior; & sic non minus, quam alter, ad amicitiam contulisse videbitur, cum ea magis ἐν τῷ φιλεῖν, quam ἐν τῷ φιλεῖσθαι consistat.

55. Est vero & hæc amicitia πολυειδής, Cum enim omnis ὑπεροχῇ vel in statu Oeconomico, vel politico spectetur: Ipsa quoq; amicitia hæc, in Oeconomicam & politicam diuiditur.

56. Oeconomica est inter eos, qui eiusdem domus societate iunguntur; eaque rursus est aut συγγενική seu  
solius



folius naturæ impulsu aut consensu pactoq; constans.

57. Συγγενική est, quam ipsa natura inter sanguine iunctos peperit, qualis est inter parentes & liberos, avos & nepotes, omnesq; agnatos, fratres denique magno ætatis interuallo distantes.

58. Parentes enim liberis vitam generando, & virtutem rectè educando, bonorum omnium longè excellentissima, communicant: quibus quidem liberi, etsi κατ' ἀξίαν dignam gratiam referre nequeunt, tamen si, quantam possunt, maximam rependant, pij boniq; habentur. τὸ δυνατὸν γὰρ ἢ φιλία ἐπιζητῆ, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν.

59. Atque hoc etiam de discipulorum erga præceptores benevolentia remuneratione, officiorum studiorumq; vicissitudine intelligendum: Nec enim sapientia æstimationem vlla pecunia metiri potest, nec precium paris momenti vllum reperiri.

60. A consensu pactoq; proveniens amicitia, est inter coniuges, τῆς τεκνοποιίας καὶ τῶν εἰς τὸν βίον ἕνεκα: vel etiam, si boni sint, virtutis gratia iunctos.

61. Atq; ita bonorum Coniugum amicitia omnia amoris vincula complexa est. Quibus accedit & alius amabilis: amicitia nodus, communis scilicet proles, quæ illos, vt fratres communis parens, copulat, vnde fit, vt, qui liberis destituuntur, & frigidius ament, & facilius solvantur.



62. Politica est inter regem, adeoque omnem superiorem & subditos, communicatione summorum beneficiorum, & grata eorundem agnitione & praedicatione, possibiliumque officiorum remuneratione constans.

63. Cum enim rex, si bonus est, omnium bonorum corporis, animi, fortunae copia per se abundans, alienae rei haud indigeat: nec suam, sed subditorum spectet curetque utilitatem, unde & populorum pastor dicitur: fit ut, quanta beneficiorum magnitudine subditos superat, tanta ab illis amoris, honoris, cultusque abundantia vinci debeat.

64. Affinis denique cognataque amicitiae est Virtus, Aristoteli quidem ἀνώγουσι, nobis vero facilitas & familiaritas dicta, qua quis in vitae communi & congressibus, medium inter adulationem & morositatem seruans, se ita, ut decet, iucundum, facilem, & officiosum praebet, solo amandi affectu ab amicitia differens.

65. Commune enim huic virtuti cum amicitia est, familiari seu amico in honestis obsequendo, in turpibus aduersando, gratificari.

66. In obsequio quidem adsit comitas, absit assentatio vitiarum adiutrix. Obsequium enim, quod peccatis indulgens, amicū praecipitem ferre sinit, est inimicitiae potius, quam amicitiae conueniens.

67. In aduersando vero monitio acerbitate, obiurgatio contumelia carere debet. Quod si ijs se emendari



dari non patitur, tūm amicitia remissione vsus leuan-  
da & disfluenda magis, quàm discindenda, ut ita ex-  
tineta potius, quàm oppressa videatur. Et cauendum  
diligenter, ne amicitia non solum deposita, sed etiam  
inimicitia suscepta videatur.

68. Secerni autem ab amicitia eius contraria & in-  
ternosci tam possunt, adhibitis superioribus, quàm  
omnia falsa fucataq; à veris. Cognito enim vero, falso  
incognitum esse latereq; haud potest. Quis enim  
est, qui benevolentiae malevolentiam, amoris odium,  
familiaritati assentationē, τῆ φιλοφιλία ἀφιλία καὶ πολυφιλία,  
amicitiae denique inimicitiam aduersa fronte repu-  
gnantem, definire nesciat?

69. Quae quidem omnia, ut à Diabolo perfectae &  
originalis amicitiae turbatore & spoliatore, hominum  
animis ad societatis humanae conuulsionem turbatio-  
nemq; inspirata sunt: ita à Christo per Spiritū S., sancti  
amoris autorem, verae amicitiae coniunctionisq; neces-  
situdine in hac quidem vita incoatiuè, in altera verò  
perfectè iungimur, copulamur, deuincimur; quod ut  
copiosè citoq; fiat, ardentibus votis precamur.





nam non patitur cum amicitia remissione vultu lenan-  
da & distenda magis quam diligenda, ut ita ex-  
tingat potius quam optata videatur. Et candorem  
diligenter, ne amicitia non solum deponat, sed etiam  
inimicitia suscipiat videatur.

§ 8. Securi autem ab amicitia eius contraria & in-  
terdici tam potius, adhibitis reprehensionibus, quam  
omnis illa incerta & veris. Cognito enim vero, talis  
sunt incognitum esse latere, haud potest. Quis enim  
est, qui benevolentiam malevolentiam, amorem odium,  
familiaritatem alienationem, & quaevis amicitiam  
amicitiae denique inimicitiam aduersa fronte repu-  
gnantem, deinde videtur?

§ 9. Quae quidem omnia, ut a Diabolo perfectae &  
originalis amicitiae turbator & spoliator, hominum  
animis ad societas humanae convolutionem turbato-  
rem, inspirata iuncta a Christo per spiritum & sancti  
amoris amorem, vera amicitiae conjunctionis, necesse  
sunt in hac quidem vita incoarctare, in aeterna vero  
perfecte iunguntur, copulantur, deinceps, quod ut  
copiose citos, par, ardentibus vocis precantur.





152826

ULB Halle

3


002 671 182




AB: 152826











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

4  
No 4055 \*

amicitia.

PHILO-  
EX VIII. & IX.  
*Arist: libris collecta,  
in publicè in Acade-  
rgensi proposita*

A  
rio Schönfelt  
ense.  
n, divina favente gratia,  
ra VII. loco consueto,  
ondebit

Dethlevus  
rgensis.

ERGAE  
hæi VVelaci.  
LXXXVIII.

